



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano
accommodata**

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Paderbornæ, 1753

Forma absolutionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36023

cia, desidiosis devotionis studia. Rarius autem vel serius confiteantibus, vel in peccata facile residentibus, utilissimum fuerit Consulere, ut sacerdotem, puta semel in mente, vel certis diebus solemnibus confiteantur, & si expediat, communicent.

Penitentias pecuniarias sibi ipsi Sacerdos, non applicet: neque a penitentibus quicquam tanquam ministerii sui premium petat vel accipiat.

Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam penitentiam non imponat.

Videat autem diligenter Sacerdos, quando, & quibus conferenda vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficij sunt incapaces: quales sunt, qui nulla dant signa doloris, qui odia & iuimicitias deponere, aut aliena, si possint, restituere, aut proximam peccandi occasionem deferere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum Scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, & scandalum tollant; neque etiam eos absolvat, quorum peccata sunt superioribus reservata.

Si vero quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis, & censuris, quantumvis reservatis (cessat enim tunc omnis reservatio) sed prius, si potest, cui debet, satisfaciat: ac si periculum evaserit, & aliqua ratione superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur, cum primum poterit, coram eo se sistat, quicquid debet, praestiturus.

Quod si inter confitendum, vel etiam ante quam incipiat confiteri, vox & loqua ex grum deficiat, nutibus & signis conetur, quo ad fieri poterit, peccata penitentis cognoscere, quibus utcunq; vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium sive pere se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.

Meminerit porro Sacerdos, ex grum non esse injungendam gravem, aut laboriosam penitentiam; sed indicendam tantum illam, quam, si convalescet, opportuno tempore peragant. Interim juxta gravitatem morbi, aliquâ oratione, aut levi satisfactione impositâ, & acceptata, absolvantur, pro ut opus fuerit. Cum rudibus, simplicioribus & rusticis studeat ante absolutionem elicere actum contritionis vel attritionis.

FORMA ABSOLUTIONIS.

Cum igitur penitentem absolvere voluerit, injunctâ ei prius, & acceptata salutari penitentia, primò dicet.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam. Amen.

Dein dextrâ versus penitentem elevata dicit.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius te abservo ab omni vinculo excommunicationis, (suspensionis) & interdicti, in quantum possum, & tu indiges.

Deinde.

Ego te abservo a peccatis tuis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Passio domini nostri Jesu Christi, merita B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, & premium vitae aeternae. Amen.

In frequentioribus autem & brevioribus confessionibus omitti potest Misereatur, aliquando etiam, si necessitas urgeat, & status penitentis permittat, Dominus noster, sicut & Passio Domini, ut in periculo mortis, vel intercurrente alia improvisa turbatione, & tunc sufficit solum dicere: Ego te absolvō ab omnibus censuris & peccatis tuis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

DE